FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Lebenslauf von Deocar Schmid.

Schmid, Deocar

Königsberg, 1715

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-175713

Visual Library

IM 1C50

56 vgl. :18

Deocari Schmidii vitae curriculum ab ipso descriptum.

Ego, Deocarus Schmid, natus sum Lobedae, oppido prope Jenam in ducatu Saxo-Vimariensi sito patre M. Rudolpho Ludovico Deocaro Schmid, matre autem Juliana Johannetta e gente Baumanniana d. 14. Novembr. 1791. Pater meus, qui primum in hujus oppidi ecclesia diaconi munere fungebatur, tum autem, quum vix sex annos natus essem, Sulzbacum, pagum non longe remotum, ad sacra ibi facienda vocatus est, partim in schola publica me erudiendum curavit, partim

Franckesche Stiftungen zu Halle

ipse me in lingua latina
aliisque rebus instruxit. Sed
quum intelligeret, pluribus se
distineri negotiis, quam ut
mihi erudiendo idoneam nava-
re posset operam quumque ip-
se tanto flagrarem discendi
studio, ut non raro, si pater
negotii quodam coactus lecti-
ones meas clauserat, multas
lachrymas effundens in foribus
domi assiderem; pater me
admodum lactantem cum fra-
tre seniore Numburgum mi-
sit, ut in schola hujus urbis
cathedrali praecipue Krausi,
propinqui mei aestumatissimi, nunc
Regiomonti summis munери-
bus theologicis fungentis cu-
ra et studio paucis annis ante
optime constituta ad theolo-
giam addiscendam praepararer.

1 C 50 : 56

Hic cursum meum scholasticum ita absolvi, ut unum annum in quarta et tertia, duos in secunda, duos et dimidium autem in prima classi assiderem et institutione Kraussii in religionis morumque doctrina, nec non in lingua hebraica et privatim in philosophiae rudimentis et evangeliorum interpretatione, Wernsdorfii autem, rectoris, Lenhardii, correctoris, aliorumque virorum praeclarorum in Latina, Graeca et Germanica lingua aliisque, quae in scholis doceri solent, disciplinis addiscendis fruerer. Cum omnes hi viri majora de me merita sibi compararunt, quam ut unquam gratias iis referre possim, tum praecipue Kraussius verbis et factis,

Franckesche Stiftungen zu Halle

doctrina, consilio et exemplo
suo tantam in animo meo vim
habuit, ut, si quid unquam
ecclesiae Christianae emolu-
menti afferam, id inprimis huic
viro, omni laude mea superiori
debeam; idque felicissimis vi-
tae meae eventibus annumero,
quod ejus praeclara in religi-
one Christiana eruditione prae-
paratus in ecclesiam Christi-
anam receptus sum. Licet
decimo septimo aetatis anno
nondum peracto, in litteras ta-
men, quae vulgo humaniores
vocantur, ex praeceptorum meo-
rum testimonio satis instructus
scholam reliqui Jenamque ad
studium theologiae et disciplina-
rum cum ea conjunctarum trac-
tandum me contuli. Quibus
postquam per duos et dimidium

annum incubueram, ad examen theologicum Vimariae subeun-dum admissus et prima, ut nominari solet, nota mihi tri-buta in candidatorum reveren-di ministerii numerum recep-tus sum. Quum autem stipen-dium non exiguum a Lyncero, viro excellenti, iis, qui majores in theologia progressus facere velint, destinatum ordine the-ologorum Ienensium proponente a summo senatu sacro Vimari-ensi mihi esset collatum, duos curriculo meo academico annos addidi. In toto hoc tempore talem studiorum meorum cursum tenui. In philosophia, cujus notitia, tanquam firmissimo fun-damento, quamque veram scienti-am superstruendam esse censui,

doctore aeque fam. Car. Christ. Erh. Schmidio, cujus praelectiones de logica, metaphysica, psychologia empirica et universali disciplinarum encyclopaedia ac methodologia non mediocri cum studio et utilitate frequentavi, nec non publicis quibusdam Ulrichii de religionis philosophia, universali civitatum foederis jure et politica acroasibus interfui. Augustiium introductionem ad universas theologiae partes tradentem lubenter audivi. Quod attinet ad theologicam exegeticam, Griesbachio introductionem in N. T. libros hermeneuticam sacram, trium priorum evangeliorum synopsin et Ioannis evangelium, Gablero Pauli ad Romanos, epis-

ti ad Hebraeos et Jacobi episto-
lam, Schottio breviores Pauli
epistolas, Augustio introducti-
onem in canonicos V. T. libros,
nec non in quosdam libros apo-
cryphos cum nonnullorum expli-
catione conjunctam, selecta
Pentateuchi loca, libellum Ruth
inscriptum, prophetam Jonam
et selectos Psalmos, Gilenapf-
felio majorem eorundem partem,
Bernsteinio Jobum, nec non
Lorsbachio linguam Chaldai-
cam ex locis prophetae Danielis
chaldaice scriptis illustranti,
bus sedulo assedi. Historiae
ecclesiasticae addiscendae Gries-
bachio duce operam dedi. Gable-
rum theologiam dogmaticam,
Schottium introductionem in eam-
dem scientiam, ethicam autem

Christianam Danzium proponen-
tem audivi. Eodem in regulis
homileticis et catecheticis discen-
dis doctore usus sum, priores au-
tem disciplinae studium Schottio
duce iterum pertractavi. Quum
autem philologia sit mater omnis
liberalis doctrinae, etiam huic
operam navandam esse censui ide-
oque Eichstadtium orationem
Marcellianam vulgo Ciceroni ad-
scriptam, Aristophanis nubes,
selectos Pindari hymnos et plura
Catulli, Tibulli et Propertii car-
mina explicantem audivi, nec
non encyclopaediae philologicae
acroasium de hac disciplina ab
eo habitarum ope studui ejusdemque
privata in arte latine scriben-
di institutione usus sum.

Franckesche Stiftungen zu Halle

AC 50:56

Ut autem nec in ceteris dis-
ciplinis rudis manerem, qua-
rum notitia neminem, qui
doctus vocari velit, prorsus
carere decet, Oxenii de uni-
versa naturae historia, Grau-
mülleri de botanice, de Man-
chowii de mathesi pura et
Ludenii de Germanorum novis-
simique temporis historia prae-
lectionibus interfui. At quum
mihi persuasum fuisset, vel
maximam in audiendis collegi-
is sedulitatem ad bonum studio-
rum eventum non sufficere,
majorem privatis studiis operam
navandam esse censui. Adeo prae-
ter hanc publicam, ut ita dicam,
industriam etiam privatim classi-
cis scriptoribus Germanorum, Grae-

Franckesche Stiftungen zu Halle

corum et Romanorum et libris V. et V. T. legendis, arte La-
tine scribendi excolenda, variis quaestionibus de rebus philoso-
phicis et theologicis, praeser-
tim de rationalismo et supra-
naturalismo, instituendis, ora-
tionibus sacris legendis et elabo-
randis et studio historiae, geo-
graphiae, matheseos, linguae Franco-gallicae aliarumque rerum ~~studio~~ excitando semper occupatus sum. Nec hoc satis esse putavi, sed nihil magis ad ingenium acuendum et ad ea, quae memo-
riae mandaveris, quasi in succum et sanguinem vertenda facere ratus, quam loquendi, scriben-
di et disputandi exercitia et quoque fere vitae meae acade-

1 C 50 : 56

micae semestri cum amicis societates ad latine gallicequae loquendum et scribendum, ad dissertationes lingua germani, ca exarandas et ~~aliju~~ mutuo examini subjiciendas et ad excolendam declamandi artem institui, et ad unum omni, bus collegiis, quae vulgo dicun, tur, practicis a professoribus, dum Jenae commorabar, habitis, dummodo non prorsus a studi, is meis abhorrerent, indefessus socius interfui. Haec erant societas latina ab Eichstaedtio directa et exercitationes, her, meneuticen sacram latina lin, gua illustrandi ab eodem in, stitutae, Schmidii seminari, um theologicum, Guldenapfe,

Franckesche Stiftungen zu Halle

lii societas biblica, disputan-
di exercitia ab Ulrichio et
Baumgarten-Crusio habita
et Danzii Schottiique exerci-
tationes homiletico-practicae.
At hoc quum cultus religiosus
in templo academico restitue-
retur et duodecim theologiae
studiosi ad orationes sacras una
cum professoribus in eo haben-
das eligerentur, ego quoque dig-
nus repertus sum, qui in hunc
circulum reciperer. Haec erat
ratio, quam in studiis meis trac-
tandis secutus sum. Omnes fere
praeceptores mei non solum insti-
tutione sua, sed etiam benevolen-
tia, quam bonis consiliis tribu-
endis librisque commodandis erga
me demonstrarunt, ad gratias
maximas iis referendas me obliga-
runt. Ante omnes autem mihi

nominandus est Erh. Schmid, cognationis vinculis mecum conjunctus. Is et ingenium meum praelectionibus summa cum sollertia habitis colloquiisque multis salibus atque acuminibus conditis in ordine modo acuit et exercuit, et in certum viae tam sapienter duxit, vacillantem tam celeriter stabilivavit, erranti tam bene rectam viam ostendit, ut praeter Krausium neminem sciam, qui, dum in vivis sum, de me tot tantaque merita sibi comparaverit. Omnium autem beneficiorum, quae ei debeo, id maximum semper mihi visum est, quod ab eo ad majorum nostrorum fidem reductus sum. Mihi enim, qui solam rationem ad certam de religione persuasionem comparandam sufficere putaveram, ab eo demonstratum est, omnia argumenta, quibus deum

moralem rerum ordinem animique
immortalitatem esse demonstrare
unquam voluerunt philosophi, ni-
hil aliud efficere posse, quam ut
persuasionem de religione cuili-
bet bono homini admodum necessa-
riam ideoque divinam harum re-
rum revelationem quaerendam esse
intelligamus. Eo profectus hanc
de fidei religiosae fundamento
atque indole animo meo informa-
vi persuasionem. Fides in deum
resque divinas interna quadam
persuasione nitetur omnibus noti-
onibus et conclusionibus ex mente
oriundis longe superiore. Quae
ut aut confirmetur et amplifi-
cetur aut erroribus, supersiti-
one, libidinibus terrenisque studi-
is et laboribus obscurata illustre-
tur, atque nemo hac interna reve-
latione se scire dicere possit, quod-
cunque velit; deus jam a tempore

bus antiquissimis per viros sapientes, postremum autem ratione perfectissima per filium suum Jesum Christum omnia ea hominibus revelavit, quae eos scire oportet, si animo quieto et tranquillo esse velint. Quaecunque in his revelationis divinae documentis continentur, ea, licet mentem meam longe superent, animo fideli credenda, et si quid in iis reperiatur, quod rationi repugnare videatur, id non statim tanquam falsum rejiciendum, sed judicium de eo continendum hancque falsi speciem aut rationis debilitati aut exegeseos incertitudini tribuendum esse censeo. Jam priusquam, ~~ad hanc~~ diu inter utramque partem fluctuans, ad hanc

cogitandi rationem pervenerem
firmum in animo meo stabat
consilium, nisi de fidei eccle-
siae nostrae veritate mihi per-
suaserim, munus ecclesiasticum
non accipiendi, quippe quum
hac fide totam populi religi-
onem et virtutem niti eique si
contraria ab ecclesiae ministris do-
ceantur, et saluti publicae ma-
ximum damnum afferri et con-
tra jusjurandum ab omnibus mu-
nus suum inchoantibus age arbi-
trarer. Dei autem gratia ad hanc
persuasionem perductus, nihil ma-
gis in votis habebam, quam ut
dignus ejus ecclesiae minister ali-
quando evaderem. Nihilominus
ardenti quoque flagrabam stu-
dio, priusquam certum vitae ge-
nus inirem, quam maximam terrae
partem videndi et varia hominum

AC 50:56

cogitandi, sentiendi, loquendi et vivendi genera cognoscendi, hominem non ad id destinatum esse ratus, ut plantae instar eidem terrae glebae, in qua natus est per totam vitam suam affixus maneat, quumque ad pueros educandos licet non natum, tamen non ineptum judicarem, peracto curriculo meo academico tale munus in pago prope Gotham sito accepi. Quod quum varias ob causas minus mihi placeret, quinque mensibus post ei renunciavi Jenamque redii, ubi statim aliud munus mihi oblatum iri non temere sperabam. At spes me fefellerat. Plures demum menses ubi commorato litterae mihi afferebantur,

Franckesche Stiftungen zu Halle

a Kraussio, cognato meo aestu-
matissimo, missae, in quibus
munus puerorum mercatoris cu-
jusdam Regiomontani educan-
dorum mihi obtulit. Hoc eo
jucundius mihi accidit, quod
ita non minus utili, quam gra-
ta hujus viri praestantis con-
suetudine iterum fruendi
occasio mihi obvenit. Februa-
rio igitur anni praeteriti Ter-
nam reliqui et Regiomontium
profectus sum, ubi sub ejus
finem adveni novumque munus
meum suscepi. Ad quamvis
maximam temporis mei partem
requireret, tamen, quantum
potui, studia mea continu-
avi saepiusque et in aliis ecclesi-
is et praecipue in ea, quae vene-
randi senis Borowskii curae de-

Franckesche Stiftungen zu Halle

mandata est, orationes sacras habui. Quum autem mihi persuasissem, paedagogi mu-neris non id esse, in quo generi humano plurimum utilitatis afferre possem; diu meditatus, quodnam vitae genus mihi sit eligendum, tandem inveni, nullum aliud mihi esse accom-modatius, nullum saluti hu-manae utilius, nullum summis laudibus dignius quam quo ii utuntur, qui homines paganos in religione Christiana erudi-unt. Nihil igitur exoptatius mihi evenire posset, quam si in numerum eorum, qui in India orientali evangelium Jesu do-cent, reciperer; At quanta fe-

20.

ret felicitas mea, quam gra-
tus meus erga Deum optē-
mum maximum animus, si
plures annos hoc munere bono
cum eventu functum in Eu-
ropam redire et, me non inuti-
le terrae pondus fuisse, persua-
sum in patria mea vitam fi-
nire mihi contingeret.